30.

suo Landisperg vivo vel de Yleborg adductus in[a] informatorio claustri[b] decumbens in gravescente molestia V° Idus Februarii defunctus est ibidemque sepultus fuit in dextra Frederici, sui fratris, comitis de Brene post patrem eorum ad occidentem. Sepelierunt eum fratres sui Otto Missnensis marchio et Dedo comes de Rochelitz. Dedit preterea idem Theodericus in extremis ecclesie Sereni Montis vineam in Podegiz[c], que marchionis vocatur. Dedit eciam beato Petro dorsale magnum et duas marcas cum dimidia puri auri ad opus unius calicis, qui postmodum obligatus inter Iudeos furatus fuit in Hallis. Dederunt pro testamento preterea heredes sui, Otto et Dedo fratres, LXta marcas argenti, pro trium talentorum redditum comparacione pro anniversario ipsius. Otto marchio suas XXXta marcas statim persolvit, Dedo XXXta marcas relaxavit de precio ville Kokere, quam villam ab ecclesia Sigaviensi redemerat. Mortuo Theoderico sine filio legittimo tota eius hereditas, videlicet marchia Lusacie, Yleborg, Landisberg et cetera [ad][a] Ottonem marchionem Missnensem et ad Dedonem fratrem eius translata sunt. Sed marchiam Lusacie imperator Fredericus aliquamdiu tenuit. Sed Dedo comes pro quatuor milibus marcarum ipsam ab imperatore redemit etc.

De Dedone fratre Ottonis

Dedo comes de Rochelitz proavus sancte Elizabeth et avus sancte Hedwigis, frater Ottonis marchionis Missnensis, filius tercius Conradi marchionis, accepit uxorem Mechtildem filiam Gosvini comitis de Hinrichsberg, sororem Philippi Coloniensis archiepiscopi, ex qua genuit Theodericum maioris ecclesie Magdeburgensis prepositum, postea comes de Sommerschenburch et Grotz. Item genuit

a) deest C; add. man. rec. 11 may
b) claustro C
c) dorssale C

Margin notes: yd — sepelierunt — missn — Missn — Podegiz — Kokere — Sed — a) deest C — + f. CCLXI c. — Missn — ffred. — a) deest C — Missn — De sancta Elizabet et de sancta Hedwigi. — Somersch